

us est, qui contra eas pronunciat. Paul. l. 5. sent. tit. 25. §. 13. Qui verò illam in iudicando sequitur, illam habet conscientiam; Est enim lex publicò Procerum Imperii consensu à Majestate Cæsarea omnibus iudicibus observanda promulgata, cum in illa contineatur, quomodo causæ criminales iustè decidendæ veniant.

(2.) Si partes litigantes petant informationem hujus Constitutionis, tum illa ipsis, pro qualitate causæ, & quantum necessitas requirit, suppeditanda est, ita ut Judex ipsis verum sensum explicet & declaret, ut scire possint, quid in ea sit dispositum & ordinatum, ne ob istius ignorantiam in periculum vel discrimen incurrant, atque ita, ne accusator ineptas fortean instituat accusationes, vel ordine inversò contra præscriptum harum legum agat, vel alteri injuriam inferat: Reus verò modum & rationem se defendendi intelligat.

(3.) Si partes litigantes copiam articulorum, quos sibi in præsentè causa utiles aut proficuos fore existimaverint, ex hac Constitutione desideraverint, illa ipsis pro tolerabili pretio communicanda erit, iurium namque publicè promulgatorum usus est communis, & sine injuria nemini denegari poterit, cum Constitutiones, quæ sui naturâ sunt universales, ad omnes pertineant. Hodie tamen, cum istæ Constitutiones publicis typis descriptæ sint, & ab omnibus haberi queant, hic articulus, quoad partem cum primis posteriorem, nullum amplius habet usum.

## ARTIC. LXXXIV.

*Quomodo Judex de iudicio rectè constituto  
querat.*

**Von der Frag des Richters / ob das Gericht recht  
besetzt ist.**

**S** Das Gericht also gefessen ist / so mag der Richter einen jeden Schöpffen besonder also fragen: N. ich frage dich / ob das endliche Gericht zu peinlicher Handlung wol besetzt sey. Wo dann dasselbig Gericht nicht unter sieben / oder acht Schöpffen besetzt ist / soll ein jeder Schöpff also antworten: Herr Richter / das peinlich endlich Gericht ist nach Laut Kaysers Carls des Fünfften / und des Heiligen Reichs Ordnung / wol besetzt.

ARTI-